

se recognoscere, & velle sua peccata clavis subijcere; ideoque absolvi debet. Idem esset, si tantum aliquod veniale dixisset, quin potuisset amplius declarare; quia etiam peccatum veniale est materia sufficiens. E contra Sacerdos, qui in principio Missæ sensibus destituitur, non potest absolvi præcise ob confessionem generalem publice factam, etiam si ibi casualiter adsit alius Sacerdos, quia illa confessio non ordinatur ad absolutionem. An autem valet alias absolvi, patebit ex statim dicendis.

PUNCTUM XXI.

De absolutione moribundi.

191. Inq. 1. An moribundus sensibus destitutus absque ullo teste ejus doloris, aut penitentiae, possit sub conditione absolvi? R. Quod licet stando rigori scholastico, sola sententia negativa appareat vera; tamen cum tot viri perdocti affirmativam pie tueantur, hæc in praxi est amplectenda. Prob. ex laudato Bened. XIV. ubi n. 9. ubi ex Joanne Morino refert factum Clementis VIII. qui fabro murario, & vaticanae Basilicæ fastigio forte decedenti, ita absolutionem impertitus dicitur: *Si capax es, absolvo te a peccatis tuis*. Ad id etiam auctoritatem Gregorii XV. qui dum Ecclesiæ Bononiensi præesset, S. Antonini doctrinæ adhærens docuit: posse etiam absolvi moribundum, assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus sacramentum non petierit. Idem Bened. num. 10. in medium producit synodales trium Diocesium, idem faciendum piissime decernentes: ergo potest secure amplecti hæc sententia, ac consequenter debet executioni mandari.

192. Ratio etiam id ipsum suadet: quia in extrema necessitate debemus subvenire proximo, si absque nostro præjudicio spirituali, aut temporali valemus; sed ita accidit in præsentem, cum præjudicium temporale nullatenus adsit, nec spirituale imminet juxta viros doctrina, & sanctitate conspicuos: ergo debemus subvenire proximo in extrema necessitate constituto, impertiendo illi absolutionem sub conditione.

193. Dices: Illicitum est conferre ab-

solutionem sine materia; sed in casu præsentem nulla adest materia, cum illum non exhibeat moribundus, nec aliquis sit, qui de ea testetur: ergo non licet. Hoc est argumentum herculeum oppositæ sententiæ, & revera non facilis solutionis. R. Tamen, quod non omnino desunt testes: tot enim actus religionis moribundus in vita elicit, quot sacramenta recepit; vel quot pia opera exercuit, tot sunt testes, qui testificantur, vel quod de facto petiit confessionem, esto nullus per accidens viderit, vel quod aliquo modo poscat, actu etiam externo, licet ab adstantibus non percipiatur. Ita accidit cuidam juveni repentino accidenti oppresso; qui, ut retulit ipse medicus ei assistens, licet exterius ab accidenti esset ita ligatus, ut pene mortuus videretur, tamen auditum non amisit, & interius cum plena cognitione dolebat de peccatis, & percipiebat de eisdem absolvi. Idem juvenis ab accidenti liberatus, & in se reversus, sic adstantibus testatus est. Præterea quicumque vivit, aliquem motum externum habet, de quo dubitari valet, ut in casu relato, an fiat desiderio, aut petitione confessionis. Illius. Genetus in præsentem duo dicit parum sibi coherentia. Primum, absolvendum esse moribundum in casu ob rationes a nobis expositas, quas roborare intendit variis testimoniis. Secundum, non posse dari absolutionem sub conditione, nec in eodem casu. Nos vero asserimus solum sub conditione posse in dicto casu dari absolutionem, quia supra materiam dubiam nequit dari forma absoluta. Ideo proferri debet sub conditione, ut præscribunt, præter plures auctores, etiam synodales indicatæ a sapientissimo Pontifice Bened. XIV. ubi supra n. 15.

194. Inq. 2. An in eisdem circumstantiis possit absolvi, qui in actuali peccato sensibus destituitur? R. neg. Quia de talibus non ita pie est præsumendum, sicut de illis, qui regulariter probe vixerunt. Et idem est de illis, qui in ebrietate, duello, aut domo meretricis lethaliter vulnerantur, aut repentino casu opprimuntur, nisi aliqua signa doloris dent, aut dederint.

195. Inq. 3. Quid dicendum de quadam praxi absolventi nempe moribundum sensibus destitutum, postquam recepit sacramenta penitentiae, Eucharistiæ, & extremæ unctionis, vel a Judice capite mul-

Cap. II. De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma.

etatum, dum jam suspenditur? R. quod, cum olim audissem Sacerdotem, dicentem se decies, aut duodecies absolvisse suum patrem in dictis circumstantiis, reprobavi ejus methodum. Eo amplius, quod tanta repetitio absolventi irrisoria sit, & aliena a severitate hujus sacramenti. Aliud est de infirmo, qui moneret Confessarium, ut quando, amissa loquela, manum ei compresserit, vel dederit tale signum, imperiatur ipsi absolutionem. Eam tamen conferre infirmo absque hac monitione, receptis jam Ecclesiæ sacramentis, approbare non audeo, imo illam absolute reprobato. Vid. V. P. Arbiol in suis monitis mysticis lib. 2. c. 10. & lib. 3. c. 25. ac in ejus additione, in quibus præclare tradit hanc ipsam doctrinam, reprobandum abusum absolventi indiscrete infirmos absque prævia conventionem inter Confessarium & penitentem; qui quidem abusus expunctus fuit a quadam questione morali, ut constat ex Expurgatorio an. 1707. ut advertit ipse V. Author locis citatis.

CAPUT III.

De ministro penitentiae.

DISCUSSIS sacramenti penitentiae causis intrinsicis, nempe materia, & forma, exploranda est ejus causa extrinseca, quæ est minister legitimus, cujus aliquæ qualitates ad suum munus valide, & licite obeundum in hoc capite perpenduntur. Sed ne claves, quibus utitur minister hujus sacramenti, prorsus ignorentur, breviter ante alia explicantur.

PUNCTUM I.

De clavibus Ecclesiæ.

196. Inq. 1. An dentur claves in Ecclesiâ? R. affirm. Constat ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claves regni caelorum, & quodcumque ligaveris &c.* & ex aliis locis sacri Evangelii, ubi patet Dominum Apostolis contulisse potestatem dimittendi, & retinendi, ligandi, atque solvendi peccata, idest aperiendi, vel non januas caeli juxta merita, aut demerita singulorum. Novatus, & ejus asseclæ, dicti ab eo Nova-

tiani, negabant potestatem clavium fuisse datam Ecclesiæ circa graviora peccata, ut hæresis, apostasias, aut idololatriæ, & præsertim circa relapsos, quos non posse amplius Ecclesiæ reconciliari contendebant. Sed est error manifestus: quia Christus reliquit Ecclesiæ potestatem, non limitatam, sed absolutam, ut patet ex loco citato Matth. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in caelis.*

197. Dices 1. Janua caeli jam est aperta juxta illud Apoc. 4. *Vidi, & ecce in caelo ostium apertum.* 2. Potestas aperiendi, & claudendi solum competit Christo juxta illud ibidem. 3. *Qui habet clavem, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* R. ad 1. quod caelum est apertum respectu peccati originalis, quo sensu intelligitur: *ecce qui tollit peccatum mundi, nempe medio baptismo virtute suæ passionis.* Ad 2. posset idem responderi, quod solus Christus aperit caelum, delendo chi-rographum decreti, nempe peccatum primi parentis, & ex ipso ad omnes, excepta admirabili Virgine, transfusum. Sed melius responderetur illa verba intelligi de: *Lymbo patrum, quo jam nullus descendit.* Omitto alia effugia haereticorum, qui veritati gratis obsistunt. Sacerdotes veteris legis solum habebant claves in figura, non in veritate; non enim habuerunt claves regni caelestis, sed tabernaculi terrestris, ait D. Thom. in suppl. q. 17. a. 1.

198. Inq. 2. Quid sint claves Ecclesiæ? R. *Sunt potestas ligandi, ac solvendi, qua ecclesiasticus Judex dignos recipere, & indignos excludere debet a regno.* *Ly potestas* idem est, ac potentia. *Judex ecclesiasticus* exprimit subiectum, in quo talis potestas recipitur. *Ligandi, ac solvendi* indicat actum aperiendi, aut claudendi januas caeli pro meritis singulorum, & explicatur per *dignos recipere, & indignos excludere*, quod declarat modum agendi erga dignos benigne, & erga indignos severe. Claves autem Ecclesiæ non sunt materiales, sed spirituales: at esto sint metaphorice claves, potestas tamen remittendi, aut retinendi peccata non est metaphorica, sed vera, & realis.

199. Inq. 3. Quot, & quæ sint claves Ecclesiæ? R. Sunt duæ, nempe potestatis, & scientiæ. Non esse unam tantum colligitur ex laudato textu Matth. ubi non di-

citur: *dabo tibi clavem, sed dabo tibi claves*. Esse duas probatur: nam supposita potestate, requiritur discretio ad recipiendum dignos, & excludendum indignos: ergo præter potestatem requiritur alia clavis, ut aperiatur, vel claudatur, clave non errante. Igitur duæ sunt claves Ecclesiae, nempe scientiæ, & potestatis. Non tamen distinguuntur inter se realiter entitative, sed moraliter, vel respective ad actus diversos; vel secundum quod ad diversos effectus comparantur dicit D. Th. in suppl. q. 17. a. 2. ad 1.

200. Objic. 1. Ad claudendam, & aperiendam janua una clavis sufficit: ergo non sunt duæ claves Ecclesiae. R. Quod, licet ad aperiendam, & claudendam janua una sufficiat clavis; at ad sciendum cui aperienda sit, requiritur clavis scientiæ, ut ait Angelicus ibi a. 3. ad 3. Objic. 2. Scientia nequit esse clavis, cum non conferatur in ordine Sacerdotali? R. Quod habitus scientiæ non est clavis Ecclesiae, sed autoritas ad discernendum, vel scientia autoritativa, quæ solum adest in Sacerdote. *Ideo autoritas judicandi, quæ est clavis scientiæ, sine scientia non potest accipi*, inquit D. Thom. ibi ad 2.

201. Hinc patet quod omnis Sacerdos debet habere saltem scientiam mediocrem, quia in ordinatione accipit clavem scientiæ, hoc est autoritatem discernendi dignos, & indignos regno colorum; alias peccat, ut constat ex D. Thom. Verum est, quod quando datur illi facultas in actu secundo hac clave utendi, ampliori scientia pollere debet. Igitur claves Ecclesiae sunt autoritas discernendi, y potestas ligandi, atque solvendi, quæ conferuntur simul cum caractere Sacerdotali, in quo fundantur. Christus Dominus habuit claves excellentiæ ad differentiam Sacerdotum, qui solum habent claves ministeriales, non tamen fundantur in caractere, quo Christus non indignus, sed in gratia unionis. Potuit Christus communicare Apostolis potestatem Excellentiæ, v. g. instituendi sacramenta, sed non dedit, nec fuit conveniens, ne essent plura capita, & dissidia. Qui ex officio baptizat, ac etiam qui fert censuras, vel absolvit utitur potestate clavium. Jurisdictio non est proprie clavis, sed conditio necessaria ad

exercitium clavium. Et hæc de clavibus indicasse sufficiat. Vide Salmant. schol. Tract. 24. disp. 12.

PUNCTUM XII.

De ministro penitentiae.

202. Inq. 1. Quis sit minister penitentiae? Respond. Est omnis, & solus Sacerdos. Ita constat tamquam dogma de fide, ut tenent omnes catholici, & patet ex Trident. sess. 14. cap. 6. ubi definit solus Sacerdos habere ministerium clavium pro foro conscientiae. Nec est in oppositum illud Jacob. 5. *Constitimini alterutrum peccata vestra*: quia supponit Apostolus confessionem esse faciendam Sacerdotibus, quos intelligi per ly *alterutrum*, ut ait D. Th. in suppl. q. 8. a. 1. ad 1.

203. Inq. 1. Quæ sint conditiones requisitæ in ministro penitentiae? R. Esse septem: nempe *intentio, sacerdotium, jurisdictio, scientia, prudentia, bonitas, seu probitas, & sigillum*. Tres primæ requiruntur necessitate sacramenti, ita ut, aliqua ex illis deficiente, nullum fiat sacramentum. Adest tamen differentia inter jurisditionem, & Sacerdotium; hoc enim nequit suppleri ab Ecclesia, illa vero pluries suppletur, ut ex dicendis patebit. Reliqua quatuor requiruntur ad licitum.

204. Inq. 3. Quid sit jurisdictio? Resp. Jurisdictio in communi est *potestas regendi, & sententiam ferendi in subditos*. Alia est *ecclesiastica*, alia *civilis*. De civili nihil in præsentia. *Ecclesiastica* est etiam duplex; fori interni, & externi. In foro externo exercetur ferendo leges, & censuras, statuendo poenas, & ab eis absolvendo. In foro interno exercetur ligando, vel solvendo peccata, & dirigendo penitentes in viam salutis. Utraque dividitur in *ordinariam*, & *delegatam*. *Ordinaria* est, quæ competit ratione officii, *delegata* quæ ab habente ordinariam alteri committitur.

205. Præterea jurisdictio delegata potest esse *simpliciter*, aut *secundum quid* talis. Prima adest, quando delegatur sine limitatione temporis, aut personarum; secunda, quando datur per tantum tempus, aut solum pro talibus personis; ut facultas audiendi confessiones pro tot mensibus, aut

aut annis; vel solum pro hominibus, aut Sacerdotibus, non pro mulieribus, nec aliis præter Sacerdotes. Insuper jurisdictio potest esse fundata in *titulo vero*. Hæc adest quando habetur cum vero titulo absque impedimento. Illa quando licet cum vero titulo habeatur, adest tamen impedimentum occultum irritans titulum, aut jurisditionem; ut si tempore collationis beneficii erat quis excommunicatus. Adstante autem titulo colorato, & errore communi, validæ sunt absolutiones, quia pia mater Ecclesia, ne tot animæ pereant, supplet jurisditionem.

206. Denique nota distinctionem, quæ adest inter jurisditionem, & approbationem. Jurisdictio enim est *quædam superioritas, aut facultas in subditos*; seu est *assignatio subditorum*; approbatio vero est *judicium ordinari de idoneitate ministri*. Distinguuntur ergo, tum quia pluries separantur, ut in approbato absolute ad confessiones, qui caret jurisditione in reservata; tum ex parte principiorum; quia regulares communiter habent jurisditionem a Pontifice; approbationem vero ab Ordinario loci, sine qua nequeunt uti jurisditione ad sæculares absolvendos.

207. Inq. 4. An Sacerdos ex vi ordinationis possit valide absolvere? R. Nec licite, nec valide absolvere posse absque jurisditione. Constat ex Trid. sess. 14. cap. 7. ubi decernit nullam esse absolutionem, *quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisditionem*. Ergo ex vi ordinationis nequit Sacerdos licite, aut valide absolvere absque jurisditione ordinaria, delegata, aut subdelegata. Prob. ratione: quia ad absolvendum requiritur jurisdictio; sed hæc non datur ex vi ordinationis; alias omnis Sacerdos simplex posset indiscriminatim absolvere, quod nemo catholicus concedit: ergo Sacerdos ex vi ordinationis, nec licite, nec valide potest absolvere absque jurisditione.

208. Objic. Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi, sicut consecrandi: Ergo R. dist. ant. Accipit potestatem absolvendi in actu primo, conc. ant. in actu secundo, neg. ant. & conseq. Igitur Sacerdos in ordinatione accipit clavium potestatem, vel accipit claves ligandi,

ac solvendi in actu primo, sed non in actu secundo, quia, ut dictum est, jurisdictio non est clavis, sed conditio necessaria ad clavium exercitium. Igitur tenendum est, tamquam de fide, præter potestatem ordinis requiri in ministro penitentiae jurisdictionem.

PUNCTUM III.

De ministro pro articulo mortis, ac pro venialibus.

209. Inq. 1. An omnis Sacerdos possit absolvere in articulo mortis? R. affirm. Constat. ex Trid. ubi supra dicente, quod in articulo mortis: *omnes Sacerdotes quolibet penitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint*. Unde quilibet Sacerdos, esto hæreticus, degradatus, aut vitandus valet in mortis articulo absolvere a quibusvis peccatis, & censuris, quantumvis alias reservatis, quia ex pietate Ecclesiae in articulo mortis *nulla est reservatio*. Hæc autem facultas non est de jure divino juxta plures, sed pie delegata ab Ecclesia, licet ejus origo adhuc sub lite sit. Vid. D. Thom. q. 8. a. 6. *supplem.*

210. Inq. 2. An simplex Sacerdos in dicto articulo possit absolvere in præsentia Parochi, aut alterius in eodem loco approbati? R. neg. Quia ideo Concilium tribuit amplam facultatem in illo casu: *ne hac ipsa occasione aliquis peccat ex defectu jurisditionis, aut illam habentis; sed adstante proprio Sacerdote, vel alio approbato ad absolvendum, non datur occasio perditionis: ergo tunc simplex Sacerdos non gaudet facultate a Concilio indulta. Præterea Concilium quoad hunc casum non condidit novum jus; sed stando juri antiquo, simplex Sacerdos non poterat absolvere in dicto articulo, adstante proprio Sacerdote: ergo nec nunc valet. Idem est dicendum de non habente privilegium ad reservata respectu illud habentis, & de censurato respectu immunis a censura; solum enim datur facultas ad occurrendum necessitati, quæ non adest in præsentia Parochi, approbati, habentis privilegium, aut immunis a censuris.*

211. Nota 1. Quod si Parochus, aut alius approbatus nollet absolvere, in illo casu posset simplex Sacerdos, quia nolens est

est velut absens. 2. Quod si confessio in absentia Parochi fuit inchoata, potest simplex Sacerdos prosequi & absolvere; nisi penitens habeat censuras reservatas, quia tunc si adveniat habens facultatem ad eas absolvendas, dicunt communiter AA. quod ab isto prius absolvatur a censuris, ac subinde simplex poterit eum absolvere a peccatis. Mihi distinguendum videtur; si enim ita fieri valeat absque nota, & infamia, sic omnino faciendum est. Si autem ex illa priori absoluteione prudenter timeatur gravis nota, aut infamia; potest, meo iudicio, simplex Sacerdos prosequi in confessione inchoata, & absolvere penitentem sub onere comparandi, ut statim dicam. Circumstantiae sunt inspiciendae, & juxta eas prudenter operandum.

212. Inq. 3. Quando simplex Sacerdos, aut Confessarius inferior absolvit in articulo mortis penitentem a casibus reservatis, aut censuris, quid ei advertere debeat? R. 1. Quod si habeat casus pure reservatos absque censuris, regulariter nihil, nisi quod de eis doleat, est advertendum. Ad si casus est reservatus ob falsam denuntiationem Confessarii innocenti ad tribunal Inquisitionis, ante absoluteionem debet penitens publice se retractare, vel saltem tradere Confessario in scriptis documentum a se subscriptum suae retractionis, ita ut in tribunali sufficientem fidem faciat, aliter non est absolvendus. Tum quia sic jubetur a Bened. XIV. tum quia sic postulat fieri ipsum jus naturale. Idem est dicendum, si graviter denigravit proximi famam in alia quavis materia, debet enim restituere, vel dare cautionem restituendi, sive pecunias, sive famam, sive honorem.

213. R. 2. Quod si penitens habeat censuras reservatas; vel fruatur privilegio Bullae cruciate, aut alio; vel non. Si primum, debet absolvi ab omnibus censuris sine onere comparandi, excepto pro censura ob haeresim incurta, pro qua nihil valet Bulla cruciatae. Si secundum, debet Sacerdos eum absolvere cum onere comparandi sub praestito juramento. Ita quod, si convalescat, & non compareat, duplex peccatum committit; aliud contra religionem, & incurrit easdem, non numero, sed specie censuras. Sic constat ex cap.

De his, & ex cap. Eos qui, de sententia excommunicationis in 6. Obligatio autem comparandi apud Superiorem in hoc casu non est, ut iterum absolvatur, est enim jam vere absolutus a peccatis, & a censuris; sed ut se submittat Superiori, & satisfactioni ab eo injungendae. *Non absoluteionem petens sed satisfactionem offerens,* ait D. Thom. loc. cit. ad 2.

214. Inq. 4. An idem sit articulus, ac periculum mortis? R. Distingui in eo, quod articulus mortis dicitur, quando ex morbo, vulnere, aut sententia Judicis instat mors; periculum vero, quando prudenter timeatur, ut in navigatione longa; aut dum ob insidias inimicorum in bello, vel extra illud; aut ob partum periculosum imminet mors. At esto reipsa sic distinguantur articulus, & periculum mortis, tamen quoad praesens idem reputantur, supposito, quod detur verum periculum.

215. Inq. 5. An Sacerdos simplex habeat jurisdictionem super peccata venialia, ac mortalia jam rite confessae? R. Sententiam affirmativam esse communem inter Theologos, tum antiquos, tum modernos, paucis exceptis, & eam probant ex antiquo, & communi usu Ecclesiae, licet differant in assignando radicem hujusmodi jurisdictionis. Alii putant competere omni Sacerdoti ex jure divino; alii verius sentiunt provenire ex consuetudine, & delegatione Ecclesiae.

216. Quidam asserunt praemissam opinionem esse improbatam in decreto Innoc. XI. annullatamque simul jurisdictionem Sacerdotis simplicis; sed meo videri utrumque est falsum; saltim ex vi verborum: quia Pontifex nec verbum annulationis, nec improbationis habet in suo decreto. Solum jubet Episcopis, & Parochis, quod: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Ubi in his verbis improbatio sententiae asserentis jurisdictionem Sacerdotis simplicis in peccata venialia? Adest pontificum decretum prohibens audire confessiones, praesertim mulierum, in Ecclesia tempore nocturno usque ad auroram. Prohibitum est excipere confessiones in oratoriis privatis; ergo improbatum sententia asserens jurisdictionem audiendi tales confessiones? Non est legitima consequentia.

Aliud

Aliud est annullare jurisdictionem, aliud valde diversum prohibere usum jurisdictionis; ut patet etiam in excommunicato tolerato non invitato, cui prohibitum est absolvere, absolutio tamen valida est: ergo ex vi prohibitionis non tollitur jurisdictionis, nec improbatum sententia illam astruens.

217. Nihilominus censeo Sacerdotes simplices carere jam jurisdictione in venialia, & in lethalia rite confessae: quia jurisdictione gaudebant, juxta eam verius propugnantes, non ex jure divino, sed ex communi consuetudine, & praxi illa utendi; sed jam cessavit talis praxis, & consuetudo, ita ut contraria vigeat: ergo etiam cessavit jurisdictionis in ea fundata, & ab ea orta. Sicut enim communi consuetudine a superioribus tolerata, acquiritur jurisdictionis, ita perditur consuetudine contraria: maxime dum haec ortum habet a superiorum reprobatione, & non tolerantia consuetudinis antiquae. Igitur Sacerdos simplex gaudebat dicta jurisdictione delegata ab Ecclesia ex legitima consuetudine: qua penitus sublata, caret jam jurisdictione in ea fundata. Unde non solum peccaret graviter simplex Sacerdos, sed etiam invalida esset ejus absolutio, secluso periculo mortis, aut privilegio penitentis.

PUNCTUM IV.

De jurisdictione probabilis.

218. Inq. 1. An Confessarius possit absolvere ex rationabili causa cum opinione probabiliori suae jurisdictionis? Ante resolutionem nota, quod jurisdictionis potest esse certa, dubia, probabilis, & probabilior. Certa dicitur, quae manifesto titulo possidetur. Dubia est, quae quis suspensus persistit, quin neutri parti determinate adhaereat. Probabilis, quae uni parti adhaeret, sed cum formidine prudenti alterius partis; vel quia haec probabilior est, vel quia illa non fulcitur fundamento adeo gravi, ut sufficiat ad dubium deponendum. Tandem probabilior est illa opinio, quae praesua opposita solidiori nititur rationi, & est potius ad deponendum dubium, ideoque dicitur moraliter certa. Supponimus non esse licitum operari, nec

absolvere cum opinione probabilis, relicta probabiliori, ut suo loco diximus. Supponimus etiam esse illicitum uti jurisdictione dubia ad absolvendum, nisi in casu necessitatis. Solum vertitur in trutinam: Num Confessarius possit uti jurisdictione probabiliori pro audiendis confessionibus, & absoluteione conferenda? Ad quod:

219. R. affirm. cum communi sententia. Ratio est: quia ad conferendam valide, & licite absoluteionem, sufficit certitudo moralis; non enim metaphysicam habet Sacerdos de sua ordinatione, aut clavium potestate; sed cum opinione probabiliori de jurisdictione habet Confessarius certitudinem moralem de ea: ergo valet illa uti ad audiendas confessiones, seu ad conferendam valide, & licite absoluteionem, quoties adsit rationalis causa.

220. P. Concina ubi sup. cap. 1. §. 1. num. 16. traducit Salmant. schol. tamquam Probabilistas, & audet de eis sic scribere: *Accedit, quod praefati auctores probabilista sunt, & probabilissimi praedictis occupati, docuerunt usum jurisdictionis probabilis licitum esse in sacramentis conferendis.*

221. Verum Concina, vel non legit perdoctos patres, vel gratis ita scribit. Nam in limine hujus dubii, neglecta Probabilistarum positione, sic ajunt: *loquimur igitur de jurisdictione, quae tam ab intrinseco, quam ab extrinseco sit gravior, & certo probabilis, eo quod, & rationis pondere munitur, & a Doctoribus virtute, & sapientia praestantibus defenditur, ac subinde, quae tam ex vi rationis, quam auctoritatis potens sit, ut dubium deponatur, ac certo moraliter judicetur talem adesse jurisdictionem.*

222. Sunt ne verba haec auctorum, qui Probabilissimi praedictis occupati docuerunt? Judicet prudens lector, & quo jure ut tales publice redarguantur. Maxime cum ibidem asserant, quod seclusa lite inter Probabilistas, & Probabilioristas decidunt questionem. Simulque advertat Concinam eandem sententiam, tuentem usum jurisdictionis probabilis, alibi pluries defendere, & amplecti. In primis tenet Sacerdotem habentem reservata, & non reservata, qui nequit omittere sacramentum absque infamia, posse absolvi a Con-

Confessario inferiori, quod negatur a pluribus. Deinde adstruit delegatos Confessarios posse absolvere post mortem delegantis, esto oppositum asserant plures; sed in his, & aliis casibus admissis a Concina, ex quibus in decursu operis aliquos indicare curabimus, tantum adest iurisdicção probabilis: ergo admittit usum licitum iurisdictionis probabilis.

223. Objic. Sententia asserens usum licitum iurisdictionis probabilis reprobat in propos. 1. damnat. ab Innoc. XI. ergo falsa, & proscripta est. Hoc argumentum sæpe objicit Concina Patribus Salmantic. repetitque contra alios graves Auctores. Ipse autem sibi illud solvere cogitur, dum in casibus designatis adstruit eandem sententiam. Pro omnibus tamen R. iustissime esse proscriptam memoratam propositionem, niversaliter enim assererat usum licitum opinionis probabilis in conferendis sacramentis, relicta tutiori, etiam circa eorum materias, & formas. Unde manifesto periculo nullitatis sacramenta exponebat. Nunc vero non est sermo de materiis, & formis, quas supplere nequit Ecclesia, sed de iurisdictione, quæ pluries ab Ecclesia suppletur, & adstringitur Concina concedere, si forte sententia ab ipso propugnata circa delegatos falsa sit. Ita debet credi de pietate Ecclesie: sic enim salvantur valida, & licita plurima sacramenta, quæ bona fide ministrantur, & recipiuntur. Opposita vero sententia præter plures inconsequentias; pene innumera inconvenientia devorare cogitur: Nam cum vix aliquid certum in hac materia habeamus, & passim innumera occurrant difficultates, & opiniones; si probabiliori ahi absolvere Confessarii non possent, vix tribunal penitentia moderari valerent.

PUNCTUM V.

De iurisdictione Parochi.

224. Inq. 1. Quam iurisdictionem habeat Parochus? R. Parochus proprietarius habet iurisdictionem ordinariam in suos Parochianos, & delegatam in reliquos subditos illius Diocesis, ubi est Parochus, & approbationem in sententia plurium ubique terrarum. Ratio primi est, quia

eius iurisdicção est annexa officio. Ratio secundi est communis consuetudo. Tertii denique, quia est juxta plures approbatus a jure, vel ab Ecclesia. Ex primo capite valet Parochus absolvere suos subditos in aliena Diocesi, cum non exerceat actum contentiosum, sed gratiosum. Ex secundo capite potest eligi in Confessarium intra suam Diocesim a Parochianis alterius Parochie. Ex tertio capite posse extra Diocesim eligi virtute Bullæ cruciatæ, dicunt non pauci. Ego tamen oppositum censeo, ut mox dicam. Parochus, ut a pluribus dubis in hac materia se eximat, postulet initio suæ promotionis facultatem audiendi confessiones in tota Diocesi. Vid. Inst. 84. Bened. XIV.

225. Inq. 2. An Parochus valeat absolvere suos parochianos ubique terrarum? R. affirm. Quia gaudet in eos iurisdictione ordinaria, quæ exercetur absque strepitu judiciali, & contentione. Si autem Episcopi, aut Parochi exteri reluctantur, caute procedat, ita ut sanctum ministerium sancte perficiatur.

226. Inq. 3. An delegatus possit extra suam Diocesim audire confessiones penitentium suæ delegationis? R. negativ. Nam ideo valet Parochus extra Diocesim confessiones sui parochiani audire, quia ex jure, aut officio est suus subditus: at delegatus nihil habet a jure, vel officio, sed ab homine, cujus iurisdicção extra proprium territorium non progreditur.

227. Inq. 4. An si Parochus reuertitur suum officium, gaudeat eadem iurisdictione? R. neg. Quia cum ejus iurisdicção sit annexa officio, hoc dimisso, aut sublato, amittitur iurisdicção. Idem est de Episcopo, & de quovis iurisdictionem ordinariam habente, nam ablato principali corruit accessorium.

228. Inq. 5. An Parochus iurisdictionem in proprias oves possit delegare Sacerdoti non approbato ab Episcopo? R. neg. quia licet gaudens iurisdictione ordinaria possit eam delegare, ut patet ex cap. cum Episcopus in 6. tamen excipitur Parochus, ne possit eam delegare simplici Sacerdoti in Trident. sess. 23. cap. 15. de reform. Unde nec sibi valet in confessarium eum eligere, ut constat ex propos. 6. damnata ab Alexandro VII. Qui beneficium curatum habent, possunt eligere sibi

in

in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. Verum potest Parochus eam delegare cuilibet Sacerdoti approbato ab Ordinario loci, vel Parochie propriæ.

229. Inq. 6. An Parochus possit vocare Parochos alterius Diocesis ad excipiendas confessiones suarum ovium? R. neg. Constat ex declaratione sacre congregationis Concilii ubi ad quæsitum: An Curati unius Diocesis, vocati a Parochis alienæ Diocesis, possint in ista audire confessiones absque licentia Episcopi? Sacra congreg. respondit: affirmative quoad subditos, negative quoad alios. Stante hac declaratione, plane liquet Parochos non esse approbatos extra propriam Diocesim pro omnibus, alias vocati a Parochis cujuslibet Diocesis, excipere possent confessiones absque ulteriori licentia. Potest igitur Parochus oves proprias ubique absolvere, non vero alienas, quarum confessiones extra Diocesim, nec in vi Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæe audire valet, cum extra Diocesim non reputetur quoad illas approbatus juxta dictam declarationem. Ita etiam tenet Bened. XIV. laudatus a Ligorio lib. 6. num. 544.

230. Parochus ex vi sui officii non habet iurisdictionem in reservata Papæ, aut Episcopi, neque ad dispensandum, aut commutandum vota, aut juramenta, nisi ipse, aut penitens obtineat specialem delegationem, vel privilegium, quia inferior nihil valet in reservata Superiori. Imo neque relaxare in legibus Superiorum, quales sunt vota, & juramenta.

231. Inq. 7. An, si adfuit simonia, vel aliud impedimentum irritans in collatione beneficii Parochialis, possit Parochus fictus excipere suarum ovium confessiones? R. Non potest licite; potest vero valide, si impedimentum sit occultum. Ratio primi patet, quia indigne, & sacrilege summunus exercet. Ratio secundi est, quia, stante titulo colorato, & errore communi, Ecclesia supplet iurisdictionem, ne tot anime pereant. Idem, si beneficio ritè obtento, postea incurrat occulte aliquam censuram: At excommunicatus vitandus, est sit vere Parochus, omni caret iurisdictione, ita ut neque illam alteri, quantumvis approbato, delegare valeat.

232. Inq. 8. An consuetudine legitima

Tom. II.

acquiri possit iurisdicção? R. affirm. Quia consuetudo habet vim legis. Hoc titulo possunt Parochi, imo & delegati excipere confessiones peregrinorum, & aliorum confluentium ex alienis Diocesisibus ad suam. Eodem titulo consuetudinis scholastici extranei recipiunt sacramenta a ministris loci, ubi studiis vacant. Addit quidam consuetudinem conferre iurisdictionem, accedente consensu, saltem tacito Superioris. At superfluum est hoc additamentum, quia sine tali consensu non erit legitima consuetudo, nec proinde quæsitio.

PUNCTUM VI.

De ordinario penitentia ministro.

233. Inq. 1. Quis sit minister ordinarius sacramenti penitentia? R. Est Pontifex pro tota Ecclesia; Episcopi, & eorum Vicarii generales pro suis Diocesisibus; Legati a latere pro respectivis Provinciis suæ legationis; Vicarii capitulares in Sede vacante; summus Penitentiarius; Cardinales pro Ecclesiis sui tituli; Abates, vel alii habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, pro suis ditionibus. Generales (Sacerdotes) regulares pro suis religionibus; Provinciales pro suis Provinciis, Prælati immediati, & eorum vicegerentes; dum vere sunt præsidentes in suis cænobiiis; & denique, ut diximus, Parochi in suis Parochiis. Unde Papa non habet ordinarium, quia est Pastor supremus: dum autem confitetur, fit subditus sui Confessarii in foro penitentia, ubi confessarius gerit vicem Dei. Episcopi ordinarius est Papa; Parochi vero Episcopus; Archiepiscopus, solum dum visitat, habet iurisdictionem ordinariam in suffraganeos. Omnes quos diximus habere iurisdictionem ordinariam, possunt eam delegare alteri, & Sacerdotem simplicem subditum sibi eligere in Confessarium in suis ditionibus, exceptis Parochis. Excipie etiam Prælatos regulares immediatos quoad delegationem.

234. Inq. 2. An Episcopus possit eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem non subditum? R. negat. Constat ex sequenti declaratione Congr. sub Greg. XIII. D. N. audita relatione congregationis, declaravit, Episcopum vigore privilegii,

Q

legii, de quo in cap. finali de penit. & remis. non posse sibi eligere Sacerdotem, sibi non subditum, qui a proprio Ordinario non fuerit ad hoc ad formam hujus decreti admittus, seu approbatus ad confessiones audiendas. Hæc declaratio absolute id prohibet. Igitur quamvis Episcopus possit ubique eligere proprium subditum; extraneum tamen, non approbatum a proprio Ordinario, adhuc intra Diocesim eligere nequit; nisi ratione habitationis, vel alio titulo sibi subiciatur, vel subditus fiat. Idem est a fortiori de aliis Prelatis, jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus. Vide Salmant. schol. ubi supr. disp. 12 num. 95. Alii tenent Episcopos posse intra Diocesim eligere sibi in Confessarium indiscriminatim quemlibet Sacerdotem; quod valde probabiliter censeo, intelligendo dictam declarationem solum pro Episcopis extra Diocesim, intra quippe cuilibet valet dare potestatem.

235. Inq. 3. Quis sit Parochus proprius vagorum? R. Est ille, sub quo actu reperiuntur, vel in cujus Parochia pro tempore versantur. Quia cum vagi non habeant proprium domicilium, actualis habitatio loci succedit eis loco domicilii, qua ratione Parochus loci, in quo reperiuntur, debet illis ministrare sacramenta, si eis indigeant. Peregrini habent proprium Parochum sui domicilii; tamen ex consuetudine valent confiteri cuilibet approbato ab Ordinario loci, per quem transeunt; dummodo non discedant a proprio domicilio in fraudem reservationis. Habentes duplicem Parochiam utriusque Parochi possunt confiteri. Scholastici, litigantes, milites, & mercatores possunt etiam ex consuetudine confiteri Parochi loci, in quo habitant, vel cuilibet ad audiendas confessiones ibi exposito, vel delegato a proprio Ordinario.

PUNCTUM VII.

De ministro delegato.

236. Inq. 1. Quis sit minister delegatus pro sacramento penitentiae? R. Est omnis Sacerdos approbatus, cui jurisdictione committitur ab aliquo, eam delegare valente. Qui autem illam delegare possint, constat ex supradictis. Verum non sufficit

ratihabito delegantis; nec quoad hoc retrahitur, uti in aliis materiis. Si enim ab insio sacramentum fuit nullum, rati habitione non conualescit. Nec valet voluntas præsumpta, qua judicatur, quod, si sciret Superior, consentiret: vel si peteretur, concederet delegationem; quia ad jurisdictionem habendam requiritur consensus, aut voluntas Superioris, illam concedentis, actu existens. Imo nec sufficit voluntas actualis mere interna, sed aliquo signo debet manifestari. Non tamen opus est, quod eam præcise in scriptis conferat; sufficit enim, si vel voce, vel nutibus, vel aliis signis suum consensum denotantibus illam concedat. Unde valide, & licite Sacerdos absolvit cum approbatione viva voce data a superiore, licet concessionis litteræ non dum sint ipsi tradite. Insuper requiritur, quod delegatus habeat notitiam suæ delegationis, ut valide ea uti possit, quia non valet actus factus a ministro suæ facultatis ignaro. Qua ratione absolutio data ab eo, qui putat non posse valide absolvere, nulla est. Cæterum si confessarius habeat animum absolvendi, & absolvat in quantum potest, valida est absolutio, si vere habeat facultatem, esto ignoret verum illius titulum. Tunc enim non putat, se carere facultate, sed ex aliqua ejus notitia movetur ad absolvendum.

237. Inq. 2. An delegatus in hoc foro possit jurisdictionem alteri subdelegare? R. neg. nisi ex expressa Superioris voluntate: & tunc hujus nomine subdelegat eam delegatus. Unde delegatus a Papa, ab Episcopo, vel Parochi nequit suam facultatem ad confessiones audiendas, vel ad absolvendum a casibus reservatis alteri subdelegare, nisi ex expresso eorum consensu; quia nemo dat, quod non habet, & delegatus tantum est executor facultatis sibi a Superiori commissæ.

238. Inq. 3. An jurisdictione delegata expiret morte concedentis? R. 1. Jurisdictionem generaliter a Papa delegatam non cessare per ejus mortem. Est communis sententia fundata in jure canon. *Cap. Si super gratia 9. de officio delegati in 6. & cap. Sicut 36. de præbendis 6.*

239. Verum circa jurisdictionem delegatam ab inferioribus, ut Episcopis controversia est inter auctores, maxime quan-

do non est incepta confessio. Nihilominus respondetur quod jurisdictione ab Episcopo in generali delegata non expirat morte delegantis, aut ejus renuntiatione, dimissione, vel remotione ab officio. Prob. tum ex regula generali, quod gratia facta non expirat morte concedentis; tum ex praxi communi audiendi confessiones a delegatis post mortem delegantis, tum ex eisdem iuribus quibus probatur prima resolutio, quia est, expresse tantum de delegatione Pontificia loquantur, tamen intelligi, & extendi valent ad inferiorum etiam delegationem.

240. Quod quidem dubitari non potest post Bullam Innocentii 13. quæ incipit *Apostolici ministerii*, in qua inter alia ad disciplinam ecclesiasticam in Hispaniarum Regnis servandam, statuens, approbationem pro confessionibus audiendis requisitam debere esse ab Ordinario loci, qui tunc temporis fuerit, sic prosequitur: *Hanc tamen sufficere etiam tacitam, eam que tandiu durare quamdiu præcedens licentia, sive approbatio expresse revocata non fuerit* et loquitur de casu mortis, promotionis, vel renuntiationis Episcopi. Hoc ipsum confirmavit Bened. XIV. ut constat ex Bulla quæ incipit: *Apostolica indulta*: data 7. Aug. anno 1744. idem dicunt communiter de delegatione facta a Parochi, quo moriente, aiunt permanere adhuc ejus delegationem. Sed in hoc casu, si confessio non est incepta, monendus est Episcopus; valde enim difert delegatio ab Episcopo facta, ab illa quæ fuit a Parochi.

241. Objic. Vicarii generalis facultas expirat morte Episcopi, ergo etiam omnia alia facultas ab Episcopo dependens. R. neg. paritatem; quia Vicarii generalis Episcopi censetur Episcopus ipse constitutus cum eo unum tribunal. Verum confessarius distinctum tribunal efficit pro foro interno, unde non tenet paritas.

242. Hinc apparent etiam non parva inconvenientia, quæ ex opposita sententia necessario sequerentur. Nam juxta illam, supposita Episcopi morte, omnes delegati maerent absque jurisdictione. Cumque in non paucis Diocesibus satis amplis præsertim in Hispania omnes Confessarii præter unum, aut duos in Cathedrali sint delegati; ea plurima loca absque ullo Con-

fessario: en totam fere Diocesim amplissimam, & fidelium numero copiosam absque penitentiae sacramento. Quid absurdius? Quod majus inconveniens? Profecto magis consentaneum est pietati, & prudenti regimini Ecclesiæ asserere, quod in talibus circumstantiis potest uti delegatis opinione vere probabili suæ jurisdictionis, & consequenter licitum esse usum opinionis *probabilioris* circa Confessarii jurisdictionem.

243. Inq. 4. Quid dicendum de facultate ad audiendas confessiones ab Episcopo concessa his clausulis: *donec revocavero; vel donec revocetur*? R. Durare prout sonant etiam post ejus mortem, non enim per hanc revocatur dicta facultas. Dubitant A. A. de his *ad nostrum arbitrium: ad nostrum beneplacitum: vel per tempus nostræ voluntatis*. Tamen idem est dicendum, quia facultas sic concessa reputatur absoluta; apponuntur autem dictæ clausulæ ad innuendum, quod non est adeo absoluta, ut nequeat revocari, quando Episcopo expedias visum fuerit, ut diximus tract. 3. num. 341.

244. Denique observa, quod delegatum ad tempus, si ultra præfixum excipiat confessiones scienter, gravissima sacrilegia perpetrat, et confessiones ei factæ sunt invalidæ, quia caret jurisdictione, et non habet verum titulum. Quare Sacra Congreg. interrogata de quibusdam Confessariis, qui tempore jubilei exceperant confessiones sine approbatione Ordinarii loci, vel elapso tempore approbationis, an absolverint licite, et an valide, respondit: *ad 1. illicitè: ad 2. invalide*. Sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri iterare confessionem. Hæc eadem doctrina fusus traditur a Bened. 14. Instit. 84.

PUNCTUM VIII.

De approbatione ad audiendas confessiones requisita.

245. Inq. 1. Qui indigeant approbatione pro sæcularium confessionibus audiendis? R. Omnes, qui beneficium parochiale cum animarum cura non habent, indi-

gent approbatione Episcopi loci, ubi confessiones audiuntur, non tantum ad licitum, sed etiam ad validum. Constat ex Trid. sess. 23. cap. 15. De reformatione. Unde licet olim regulares plura haberent privilegia ad audiendas confessiones etiam saecularium absque approbatione Episcopi, omnia tamen quoad hoc fuerunt revocata a Trid. loc. cit. Igitur nullus, sive regularis, sive saecularis praeter Parochos potest licite, aut valide audire confessiones saecularium absque approbatione Episcopi, vel Ordinarii Diocesis, in qua audiuntur. Observa tamen, quod ex vi hujus decreti conciliaris non requiritur approbatio Episcopi ad audiendas confessiones regularium.

246. Inq. 2. An regularis Episcopo praesentatus, & ab eo injuste reprobatas possit audire saecularium confessiones? R. neg. Constat ex prop. 13. damnata ab Alex. VII. *Satisfacit praeepto annuae confessionis, qui consistet regulari Episcopo praesentato, & ab eo injuste reprobatas.* Falsitas hujus propositionis liquet ex laudato Concilii loco, ubi declaratur tamquam conditio necessaria Episcopi approbatio: undecumque igitur illa deficiat, confessio est nulla, & consequenter per eam non satisfacit praeepto annuae confessionis. Qua ratione regularis omnis, sive sit Theologiae Lector, sive Magister in ea, sive Praelaturae quantumvis superiori insignitus indiget approbatione Episcopi ad audiendas saecularium confessiones. Atque eadem ad idem indigent clerici saeculares, esto sint Licentiat, Magistri, Magistrales, aut Doctores in Theologia, vel jure canonico.

247. Inq. 3. An Episcopus deceat approbare absque ulla limitatione regulares absolute idoneos in examine repertos? R. Sac. Congr. affirmat his verbis. *Regulares qui ad audiendas confessiones idonei ab Ordinariis locorum, eorumque examinatoriis reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque, & indistincte absque ulla limitatione temporis, aut generis personarum admittantur in Diocesi propria.* Fere eisdem verbis idem decernit Clemens X. in Bulla *Superna*. Quando autem minus idonei postulant admitti ad examen, prudenti arbitrio Episcopi relinquuntur limitare eorum approbationem. Quando

cumque vero eam limitet Episcopus, sive juste, sive injuste, solum juxta eam valet Confessarius, sive regularis, sive saecularis audire confessiones, ita ut nec virtute Bullae cruciatae possit ultra eam eligi. Unde approbatus solum pro viris nullatenus potest eligi pro foeminis, & sic de caeteris.

248. Inq. 4. An regularis approbatus in una Diocesi, possit in alia audire confessiones poenitentium suae delegationis? R. neg. Constat ex laudata Bulla Clement. X. 1670. incipiente *Superna*, ubi decernit: *Religiosos, ab Episcopo ad confessiones saecularium audiendas in sua Diocesi approbatos, non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocessani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint illius Episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Quod postea confirmavit, ac extendit Innoc. XII. declarans Confessarios, sive regulares, sive saeculares, nec in virtute Bullae Cruciatae posse audire confessiones extra Diocesim suae approbationis, etiam si Poenitentes illorum Ordinariarum, qui Confessarios electos approbassent subditi fuerint. Igitur nec regularis, nec saecularis delegatus valet extra Diocesim suae approbationis excipere confessiones, etiam poenitentium subditorum Episcopi, a quo approbationem obtinuit. Ex quibus confirmatur doctrina supra tradita, scilicet quod delegatus extra Diocesim nullam habet jurisdictionem in poenitentes suae delegationis. Imo nec approbationem, cum nec ex vi Bullae cruciatae valet eorum confessiones audire.

249. Hinc etiam plane inferitur, quod regularis approbatus pro una Diocesi minime est approbatus pro aliis, ut peperam olim praetextu suorum privilegiorum (quae aliquando habuisse non inficiamur,) contendebant quidam regulares contra venerabilem Episcopum Palafox virtute, & doctrina praestantissimum, pro cujus beatificationis causa in hac urbe Romana, non sine valida contradictione, libentissime tamen. Postulatoris munus gerimus peculiari deputatione pientissimi, ac religiosissimi Principis Caroli III. Regis vere catholici. Nam controversia delata ad Innoc. X. decissa fuit in favorem Illustrissimi Praelati die 16. Aprilis anni 1648. in Brevi *Cum sicut accepimus*. Subinde vero cum varia

varia dubia super intelligentia decreti apostolici, esto alias clarissimi, orientur, sacra congregatio sub eodem Pontifice declaravit: *regulares, etiam Societatis Jesu, in una Diocesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas, nequaquam posse in alia Diocesi bujusmodi confessiones audire sine approbatione Diocessani.* Ex quibus patet nulli posse regulares audire confessiones saecularium absque approbatione Diocessani. Unde etiam videtur non posse regulares uti privilegio *itinerantes*, quo olim gaudebant, ut a quolibet Episcopo semel approbati possent in itinere audire fidelium confessiones duplici conditione, nempe non repugnantibus Parochis, & in locis, ubi Ordinarius non existeret, vel ad eum facilis recursus non adesset, ita concessit Minoribus Eugenius IV. & aliis Greg. XIII. Sed haec, & alia privilegia jam sunt revocata, ut ex dictis hoc duplici numero satis constat.

PUNCTUM IX.

Alia dubia circa approbationem.

250. Inq. 1. An expediat regulares semel absolute approbatos iterum ad examen compellere? R. In Extrav. Pii V. incipiente *Romani Pontificis*: 1571. Sic haberi: *volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate, & Diocesi sua praevio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; a successore autem Episcopo pro majori suae conscientiae quiete examinari de novo poterunt.* Idem habetur in memorata Bulla *Superna*, prout quisque in ea, quam in fine operis dabimus, cernere valet. Nihilominus, si Episcopus, etiam injuste (quod praesumi non debet) revocaret priorem approbationem, regularis non posset audire confessiones: quia approbatio Episcopi, ut dictum est, se habet, ut conditio essentialiter necessaria ad valorem confessionum saecularium. Capitulum, Sede vacante, nequit regulares absolute ibi approbatos, iterum ad examen vocare, tum quia sic constat ex decretis pontificiis; tum quia succedit loco, non Episcopi futuri, sed antecedentis. Nota 1. Quod regularis, absolute approbatus in una Diocesi, esto in

aliam per annos transferatur, si postea ad eandem, in qua fuit approbatus, redeat, non indiget nova approbatione, licet alius Episcopus interim advenerit, nisi aliud constet de mente novi Episcopi: quia mutatione domicilii non amittitur approbatio. Nota 2. Regularem in Diocesi, in qua est absolute approbatus, posse audire confessiones omnium, undecumque illuc confluentium, ut diximus de delegato.

251. Inq. 2. An si Episcopus approbaret exteriori voce, aut litteris, quem interius inhabilem judicat, valida esset approbatio, quando illius judicium non innotescit? R. affirm. Tum quia valor actus externi solum ex significatione externa dependet. Tum quia alloquin valor approbationis pluribus periculis, & scrupulis esset expositus.

252. Inq. 3. An regularis sine licentia superiorum praesentatus Episcopo, & ab eo approbatus excipere valeat confessiones saecularium? R. Posse valide: quia supponitur talem regularem accipere ab Episcopo approbationem, & jurisdictionem, quam quilibet Episcopus valet delegare Sacerdoti idoneo intra suam Diocesim: ergo adsunt omnia requisita ad valorem confessionum, quas regularis sic approbatus exciperet. *Dices*: Regularis habere jurisdictionem a Papa dependenter ab eorum Praelatis: ergo absque eorum consensu, & dependentia carent jurisdictione? R. Carere jurisdictione a Pontifice concessa; habere tamen jurisdictionem ab Episcopo delegatam simul cum approbatione, sicut illam habet Sacerdos saecularis delegatus. Qua ratione nequit uti privilegiis regularium, sed dumtaxat jurisdictionem ab Episcopo impertita. Unde tunc regularis se habet pro confessione, ut Sacerdos saecularis.

253. Haec sententia est communis inter AA. paucis exceptis: unde cum religiosi nostri non attingentes annum trigesimum tertium lege peculiari prohibeantur mulierum confessiones excipere, si alias cum approbatione Episcopi excipiant, violant propriam legem; confessiones tamen validae sunt, ut communi consensu nosstrates docuerunt. Nihilominus paucis ab hinc annis quidam recentior oppositum tenent. Verum omnia ejus fundamenta parum pensitant, si comparentur cum autoritate

Salmanticensium, tum scholasticorum, tum moralium, qui fuerunt Generales, & Provinciales ordinis, ac velut tales penitus comprehenderunt mentem, spiritum, & intelligentiam nostrarum legum. Igitur nisi religio aliud disponat, eorum doctrinae standum est, atque ab ipsis, tamquam a sapientissimis patribus praecipue intelligentiam nostrarum constitutionum addiscere debemus. Aliud est de religiosis nostris suspensis, vel in examine reprobatis a Praelatis; illorum enim confessiones, si quas exciperent, essent omnino nullae. Haec autem nullitas provenit ex decreto Urbani VIII. illas penitus irritantis. Nec ignoramus alias religiones obtinuisse similia indulta pontificia, quibus sollicitae suae domui provident; sed resolutio data, praecedendo ab illa, intelligi debet, & non parum firmatur, & confirmatur ex ipsa exceptione, & decreto pontificio pro nullitate aliarum confessionum a Praelatis accurate obtento, quod pro confessionibus de quibus loquimur, non fecerunt. Nec fieri congruit, quia si Episcopo placeat, quod aliquis religiosus, putatus ab ipso idoneus, in sua vinea laboret, non est a Praelatis coarctandus, sed ad summum reverenter consulendus.

254. Inq. 4. An peccet graviter regularis, qui absque licentia sui Praelati confessiones saecularium cum Episcopi jurisdictione excipit? R. Hoc pendet ex constitutionibus, ac statutis cuiusque ordinis juxta praxim, aut intelligentiam communiter receptam. Ab his enim, & non a nuda lege pendet qualitas delicti in eorum violatione, ut de praecipuo confitendi singulis mensibus Benedictinis imposito in clementina. *Ne in agro Dominicos* sapienter docent N. Salmantic. scol. ubi supr. disp. 8. num.

31. Unde cum in ordine nostro indicata lex abstinendi ab audiendis mulierum confessionibus usque ad annum trigesimum tertium sub culpa gravi non sit recepta, nec intellecta hucusque, religiosus, qui cum jurisdictione Episcopi illas audiret, culpam gravem non committeret. Vide laudatos Salmant. disp. 12. num. 52.

255. Haecenus locuti sumus de approbatione Episcopi requisita ad saecularium confessiones audiendas, quam esse omnino necessariam pro earum valore juxta decreta conciliaria, ac pontificia patefecimus.

An vero requiratur ad obsolemendam regulares, alia difficultas est. Pro qua.

PUNCTUM X.

De approbatione pro audiendis regularium confessionibus.

256. Inq. 1. An Confessarius pro regularibus absolvendis requirat approbationem Episcopi ex vi decreti Concilii Tridentini? R. neg. Constat ex ipso decreto Sess. 23. cap. 15. sic se habent: *Quomodo Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, approbationem, quae gratis datur, obtineat: privilegii, & consuetudine etiam immemorabili non obstantibus.* In hoc cap. ut liquet, solum exigitur approbatio Episcopi ad audiendas confessiones saecularium: ergo ex vi decreti Trid. non requiritur pro confessionibus regularium.

257. Inq. 2. An regulares valeant confiteri cuicumque Sacerdoti? R. Hoc pendet praecipue ex constitutionibus, statutis, & praxi communi cuiuscumque ordinis. Observet ea regularis, & securus procedet. Nam, cum constitutiones religionum sint approbate a Sede apostolica, quidquid in eis praescribitur, a Sede apostolica approbatur. Apud nos intra domum invalida est confessio simpliciter Sacerdoti facta; extra conventum vero in defectu proprii, vel extranei approbati potest religiosus confiteri Sacerdoti simplici ordinis nostri. *Dices*: Quomodo ergo in prima editione asseritur oppositum? R. Distingue tempora, & concordabis jura: sunt jam diversa jura, quia sunt diversa tempora. Extra domum nequit aliquis nostrum confiteri extraneo Confessario, si habeat potestatem Confessarii ordinis: At in hujus defectu non est nobis prohibitum eligere extra domum quemcumque Confessarium. Imo tam intra, quam extra potest religiosus noster confiteri cuilibet approbato ab Ordinario, si habeat Bullam cruciatam, cuius usum absque limitatione liberenter concedunt

cedunt subditis Superiores nostri ex Decret. cap. gen. Pastran. celebrat. 18. Apr. 1625. ut. const. ex hist. tom. 4. libr. 17. cap. 1. n. 9. Vetitum illud erat Cappucinis ex peculiari constitutione, quam derogavit Benedict. XIV. in Bulla *Quod communi*. 1742. concedens eis posse confiteri extra domum Confessario saeculari ab Ordinario, vel regulari a suo Superiore approbato, cum onere iterum confitendi proprio Praelato, si casus reservatos extra confessi sunt.

258. Hinc deducit in praesenti Additio-nator Cuniliati regulares nec extra, nec intra domum habere privilegium confitendi Sacerdoti simplici, sed perperam, quia ut regularis possit confiteri extra, aut intra Confessario ab Ordinario approbato, non indiget privilegio; sed, ne coarctetur propriis statutis. Regulares contra propria statuta nullo gaudent privilegio; verum ex eo, quod aliqui pro majori perfectione coarctentur propriis statutis, ne exterius confiteantur, male deducitur non posse, nec habere privilegium id faciendi ceteros, qui talibus statutis non praepediuntur. Regulares igitur unius ordinis nequeunt confiteri saeculari, aut regulari alterius ordinis, etiam approbato, absque suorum Superiorum licentia: hanc tamen ipsos dare subditis legitime exeuntibus, vel extra domum ex eorum consensu commorantibus, ratio suadet, & usus ipse confirmat; quod autem in aliquo ordine sit constitutio aliud praescribens, est, exceptio peculiaris, quae ad exemplum adduci non debet.

259. Igitur communis sententia affirmat regulares, modo dicto exeuntes, vel extra domum legitime commorantes, posse confiteri in defectu Confessarii proprii ordinis cuilibet Sacerdoti provido, ac idoneo, hoc est, nulla censura irretito, licet non sit approbatus ab Episcopo, quia ex jure antiquo hoc eis licebat, ut omnes fatentur, & nullum profertur jus novum in contrarium, nec ex Tridentino, nec ex praelaudatis decretis pontificiis, ut ex ipsis patet; omnia enim loquuntur de approbatione Episcopi requisita pro confessione saecularium, non regularium: ergo isti valent modo dicto confiteri, nisi peculiari statu prohibeantur, ut vere aliqui prohibentur, de quibus non est intelligenda re-

solutio, neque de peccatis propriis Superioribus reservatis, nam circa haec nullus extraneus, etiam approbatus, potest excipere confessiones regularium, nec abolere de illis, etiam ex privilegio Bullae Cruciatam, nisi juxta ordinis statuta. Apud nos nulla sunt peccata reservata, & alias usus Bullae cruciatam conceditur liberaliter omnibus sine limitatione, ut dictum est. Item approbatus in una Provincia in quacumque alia est approbatus pro religiosis.

260. Resolutio supradicta habetur ex privilegio Innoc. VII. dicente: *Nos igitur supplicationibus inclinatis, fratribus hujusmodi, quos itinerari, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut si aliquem Presbyterorum ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcumque alium Presbyterum idoneum, & discretum religiosum, vel saecularem valeant, qui confessiones eorum audire, & eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere, & penitentiam salutarem injungere, licite possint.* Unde huic sententiae communi subscribit Ligerius lib. 6. n. 575. * Nihilominus in praxi, cum sententiae oppositae subscribantur graviores Theologi, & canonistae, regularis, seclusa alia sui ordinis dispositione, abstinere confiteri Sacerdoti ab Episcopo, vel Praelato respectivo non approbato, quia haec dierna disciplina valde differt ab antiqua circa confessiones excipienda.

261. Inq. 2. An novitii valeant confiteri Confessario ab Ordinario approbato sine licentia suorum Superiorum? R. affirm. Quia novitii non obstringuntur legibus regularium. Fratres nostri noviter professi, vel studentes possunt valide confiteri cuilibet approbato a suo Provinciali, quia constitutio praescribens debere confiteri Magistro novitiorum, superiori, vel alteri pro eorum confessionibus audiendis deputato, non annullat confessiones, quae fiunt aliis approbatis a Provinciali. Pariter saeculares commensales, qui vere sunt de familia, & degunt intra septa, valent confiteri cuicumque approbato, vel ab Episcopo loci, vel a Provinciali pro religiosis, quia gaudent privilegio concessis a Trid. Sess. 24. cap. 1. & Clem. X. in saepius laudat. Bulla *Superna*. Nota: Superiores Regularium possunt suos subditos a se, vel a suis praedecessoribus, vel ab aliis quibuscumque supe-

rioribus ad audiendas confessiones approbatus ab eisdem confessionibus audiendis suspendere, etiam ex causa occulta, & extrajudicialiter, ut declaravit Sacra Congreg. Episcoporum & Regularium in una Theatin. 2. Julii 1617.

PUNCTUM XI.

De approbatione pro audiendis monialium confessionibus requisita.

262. Inq. 1. An ad audiendas monialium confessiones requiratur Episcopi approbatio? R. affirm. Sive enim moniales Episcopo, sive regularibus sint subjectae, semper requiritur Episcopi approbatio in illis, qui non sunt Parochi ipsarum. Constat, omissis aliis, ex constit. *Pastoralis cura* edita à Bened. XIV. anno 1748. Imo non sufficit approbatio generalis Episcopi pro fidelium confessionibus excipiendis, sed requiritur *specialis* pro monialibus, ita ut nec in virtute Bullae, aut Jubilaei possit in Confessarium eligi a monialibus, nisi, qui specialiter pro illis sit ab Episcopo approbatus, utliquet ex laudata constit. et ex alia Greg. XV. incipiente: *Inscrutabili*. Qua ratione quod supradiximus, nempe posse religiosos nostros eligere sibi Confessarium approbatum virtute Bullae, a Praelato absque limitatione concessae, minime tenet pro monialibus, pro quibus diversa pontificia dispositio adest.

263. Unde si monialis regularibus subjecta eligeret in virtute Bullae Confessarium generaliter tantum approbatum, ejus confessio ex duplici capite esset nulla: quia ex una parte deficeret in Confessario approbatio specialis Episcopi, ex alia consensus Superiorum, quorum dispositio in usu privilegii Bullae subjectae sunt. Igitur pro valore confessorii, seu confessionis monialium regularibus subjectarum, duo necessario requiruntur. Primum approbatio specialis Episcopi, secundum consensus Praelatorum, quibus subijciuntur. Verum tamen licet absolute hoc verum sit, nec in virtute Bullae cruciatè aliter fieri possit: at in virtute amplissimi Jubilaei possunt moniales subjectae regularibus, sine horum consensu eligere Confessarium specialiter ab Episcopo pro eisdem approbatum. Jubilaeus enim est gratia universalis, omnibus indifferenter concessa a Pastore universali in commune gaudium animarum. Novitiae non veniunt

in praesenti nomine monialium; unde valent confiteri cuicumque generaliter approbato, vel exposito ab Episcopo, aut proprio Ordinario.

264. Inq. 2. An approbatus specialiter pro uno monasterio, possit audire confessiones monialium cujusvis monasterii illius Diocesis? R. neg. Constat ex Bulla Clem. X. incipiente: *Superna*: ubi habetur: *approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii*. Unde nemo valet excipere earum confessiones ultra tempus, personas, vires, aut monasteria suae approbationis. Ceterum, ut quis eligatur virtute Bullae penitentiae majoris, sufficit, quod fuerit alias, etiam semel ad monialium confessiones audiendas ab Ordinario approbatus; nisi constet eundem Confessarium fuisse postea ob demerita, quae ipsas confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatum. Ita declaravit Penitentiarum die 10 Martii ann. 1750.

265. Inq. 3. A quo accipiant Confessarii regulares jurisdictionem pro audiendis Confessionibus monialium ipsis regularibus subjectarum? R. Quod respectu harum recipiunt speciale approbationem ab Episcopo; jurisdictionem vero a Pontifice medio consensu suorum Praelatorum. Quod absolute verum est, etiam respectu monialium subjectarum ipsi Episcopo; nam hoc tenet pariter respectu cujuscumque secularis Episcopo subditi. Tamen Episcopus simul cum approbatione confert regulari Confessario jurisdictionem, quam potest. Unde confessio monialis Episcopo subjectae, facta regulari ex licentia, & consensu Episcopi valida est; licet non adsit consensus Praelati regularis: quia tunc Episcopus delegat suam jurisdictionem regulari; quod optime potest facere per se respectu monialis sibi subjectae. Hoc dicitur pro aliquo casu, in quo sic fieri conveniens, aut necessarium judicetur: communiter quippe pro audienda confessione cujuscumque monialis, sicut, & secularis, utriusque Ordinarii consensus in Confessario regulari praecedere debet.

266. Inq. 4. An Generalis, aut Provincialis egeat approbatione Episcopi pro audiendis confessionibus monialium sibi subjectarum? R. neg. Constat ex Bulla *Pas-*

toralis officii; ubi Bened. XIII. expressè eximit Generales, & Provinciales cujusvis ordinis ab approbatione Episcopi pro confessionibus suarum monialium excipiendis. Et merito, quia sunt Parochi, & Ordinarii earum. At ceteri Praelati, tum Superiores, tum immediati dicta indigent approbatione.

267. Inq. 5. Quibus qualitatibus debeat esse ornatus Confessarius monialium? R. Quod plures qualitates oportet eum habere. In primis praeter approbationem, ac jurisdictionem requiritur aetatis maturitas, morum probitas, & vitae integritas. Deinde sufficiens instructio in theologia mystica, ac notitia eorum, quae profitentur, & quae ad clausuram, ad aliasque observantias spectant. Qua ratione illi, qui eandem regulam, & vitae tenorem profitentur, aptiores sunt, ceteris alii dicant. Professores quippe ejusdem facultatis melius se intelligunt. Demum requiritur in Confessario monialium magna prudentia, magna caritas, & maxima patientia. Idcirco congruit illi saepe repetere: *Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra in caritate Dei, & patientia Christi. Amen.*

PUNCTUM XII.

Alia dubia circa Confessarios monialium.

268. Inq. 1. Cur requiratur peculiaris approbatio pro monialium Confessario? R. Quia sicut moniales sunt praeter ceteris in altiori statu pro Dei obsequio, ita requiritur altior approbatio pro earum Confessario. Hac ipsa ratione exigitur in eo probitas vitae, ut mores, & opera respondeant doctrinae. Haec autem pro monialibus non queritur ad vitam, & peccata gravia extirpanda, sed ad virtutes acquirendas, & exercendas. Unde cum nihil sit praeclearius exemplo, clariorque vox exempli, quam linguae, requiritur in monialium Confessario probitas vitae. Quomodo enim ad brevium perfectionis excitabit, qui vix praeccepta divina servaret? Exemplo igitur suadeat virtutis exercitia: aliter parum, aut nihil proficient ejus verba, & colloquia, licet sint spiritualia: alia quippe ab ejus ore nullatenus sunt audienda.

269. Praeterea debet esse instructus, *1om. II.*

rudi saltem minerva, in Theologia mystica, quae vere est scientia sanctorum, & acquiritur in divina contemplatione, vel est ipsa contemplatio. Inde haec theologia dicitur *mystica*, idest occulta, ibi enim anima devota gustat, & videt, quam suavis est Dominus, ibi accipit manna absconditum. Propterea etiam perbelle definitur: *oratio super ignoti manifestativa per amorem ipsius Dei intime possessi*. Quoniam in amoris contemplatione manifestat Deus animae spirituali incerta, & occulta sapientiae suae, spirituque intelligentiae replet illam, ut ignotum agnoscat, & simul diligat, & gustet, est enim scientia gustativa. Sed, cum ad magna praemia perveniri non possit, nisi per magnos labores, opus est custodire illas tres vias, per quas perveniunt ad montem Dei Oreb.

270. *Prima dicitur purgativa*, sive *incipientium*, in qua solvuntur terrestrium calceamenta, resecantur vitia, cohibentur sensus, & capiuntur vulpes parvulae, hoc est, defectus etiam leves, qui sensum demoliuntur vineas; quatenus licet non sint magni, sunt plures, & animae in earum captura negligentia magnum inferunt nocumentum. Sunt velut sanguisugae, quae semper dicunt *affer, affer*, ut faciunt appetitus, vel passiones, qui non cohibiti valde impediunt ascensum, & progressum.

271. *Secunda dicitur illuminativa*, sive *proficientium*, in qua acquiruntur virtutes, quae sunt pennae, quibus anima iter facit ei, qui ascendit super occasum, ponens ascensiones in corde suo, ut ejus benedictione eat de virtute in virtutem, & ferventer quaerat Dominum virtutum. Cum vero nequeant omnes simul acquiri, magistro incumbit designare unam, vel aliam, qua magis indiget monialis pro uberiori animae profectu, sumereque rationem de modo illam exercendi. Hujusmodi examen est utilissimum, & necessarium ad progressum in via spirituali, ut patet in qualibet alia scientia, & facultate, in qua discipuli discere student pensum a magistro designatum. Sumatur igitur ratio, quot actus speculativos, & practicos illius exercuerit. Actus *speculativi* exercentur petendo virtutem a Deo. *Practici* exercendo eam in occasionibus; virtus enim acquiritur in oratione, & exercetur in occa-

sione. Expedi etiam, quod director designet moniali avidæ suæ perfectionis libros, quos debet legere, qui confirmet suam doctrinam, illamque per has vias dirigant. Ex omnibus autem libris ad effectum, licet plures sint commendabiles, vix reperiuntur aptiores, quam libri sanctæ Theresiæ, & sancti Joannis a Cruce, sunt enim celestis doctrinæ pabulo referri iudicio Ecclesiæ, & docet ipsorum lectio.

272. Tertia via dicitur *unitiva*, sive *perfectorum*, in qua anima a vitiis purgata, & virtutibus ornata unitur per fidem, & amorem summo bono, dicens cum Propheta Ps. 72. *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram, Deus cordis mei?* In ea, devictis hostibus vitiorum, relicta retro gregibus animalium, quæ sunt passiones, & appetitus, fruitur pace Dei, quæ exuperat omnem sensum. Non quod semper sit in pace, quin egeat quandoque arma sumere contra jebusæos. Pax namque totalis, vel apathia stoica asserta a Molino *propos.* 62., quæ dicit: *per viam internam pervenitur ad continue consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.* Merito fuit damnata ab Innocentio XI. Est enim propria patriæ, non exilii, ubi militia est vita hominis, non caro concupiscit adversus spiritum. Pax igitur tertiæ viæ non est omnimoda, sed quatenus victoriis anterioribus fit spiritus fortior, & hostis debilior, debellaturque facilius, ita ut anima experiatur in sua quiete contemplationis, quam gloriosus est laborum fructus, quod terrena despicientibus datur centuplum de celestibus, quod melior est una dies in atriis Dei super milia; ibi conspicitur brevitatis hujus vitæ, æternitatis alterius; quod omnia sunt hominum tenui pendentia filo, quod omnia sunt futilia, fragilia, fugitiva, quod transeunt, fugiunt, disparent, & sicut aqua dilabuntur, cum sint vanitas vanitatum, & quod nihil valet, nisi servire Deo stabili, firmo, & æterno. Ex his concipit anima verum propositum ei soli famulandi, ejus mandata accuratius custodiendi, peccata etiam levia omnino cavendi; & omnia perfectius exequendi.

273. Dices: Hæc omnia etiam in via purgativa fieri debent: ergo superflua est distinctio triplicis viæ. R. neg. conseq.

Quia tres viæ assignatæ non sunt invicem contrariæ, aut incompatibiles, sed in qualibet sæpe fit, quod est proprium alterius, ideo humilitas, & dolor de peccatis, seu penitentia, licet sint exercitium proprium incipientium, in omni statu, & ut panis quotidianus debent sumi, edi, & exerceri in omni via. Sunt ergo tres status, vel viæ depictæ in illo Psalm. 33. *Decima a malo, quod est proprium incipientium, & fac bonum, quod attinet ad proficientes, inquire pacem, quod pertinet ad perfectos, qui intimius adherent Deo. Et quamvis etiam hoc querant incipientes, & proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem, incipientes quidem de vitiatione peccatorum, proficientes vero de profectu virtutum;* ait D. Th. 2. 2. q. 24. a. 9. ad 3.

274. Insuper debet scire Confessarius illas septem partes orationis; quæ sunt *preparatio, lectio, meditatio, contemplatio, gratiarum actio, petitio, & epilogus.* Alii plures, alii minus, aut aliter eas numerant, sed parum intersunt accidentia, dum convenimus in substantia. *Preparatio* est duplex; *proxima, & remota;* hæc consistit in assidua Dei presentia, & in custodia sensuum, ne hauriant species, quæ quietem animæ perturbent in oratione, ut faciunt plures, quæ intrant per visum, auditum, & reliquos sensus. Cito exardescet ignis in meditatione, si ad sit hæc preparatio in operatione. *Proxima* est accessus devotus, & humilis coram Deo, dicens cum Abraham: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis;* vel cum publicano: *Deus propitius esto. Lectio* debet esse materia meditationis, vel de passione Domini, de novissimis, de beneficiis divinis, de fine hominis, de brevitate hujus vitæ, de æternitate futura, vel de gloria, aut gehenna, vel de quolibet alio opportuno ad movendum affectum juxta diversitatem temporis, vel diei. *Meditatio* est discurrere in materia lecta, seu proposita, usque dum moveat voluntatem ad ejus sequelam. *Contemplatio* est attentio quietæ veritatis, in meditatione quesitæ, in cujus suavi intuitu, & operosa otiositate permaneat, quantum liberit. In ea enim loquitur Deus ad cor, sicut Moysi de medio rubi, qui divino ardebat igne.

275. Ex hoc dulci consortio majestatis,

tis, & bonitatis Dei oritur *gratitudo*, seu *gratiarum actio* pro tanto beneficio, & reliquis ab eo continuo acceptis. Ex eadem simul procedit *petitio* pro se, & pro aliis, præcipue pro sancta Ecclesia catholica, pro Papa, pro totius mundi conversione, pro Regibus, & Principibus Christianis, & pro cunctis necessitatibus propriis, & alienis. Hinc obiter considera pie lector, quo fundamento, quo jure dicuntur a quibusdam religiosi, & aliæ personæ orationibus vacantes, otiosi, & inutiles reipublicæ, dum revera nemo illi tantum proficiat pro suis negotiis spiritualibus, & temporalibus, impetrando a Deo, ut in sua pace ea disponat, ad majorem prosperitatem Ecclesiæ, regni, Regum, & Principum. Qua ratione olim Reges, præsertim Hispaniæ, plura erexerunt templa, & monasteria, ut peterent a Deo felicitatem armorum ad Mauros ex suis regnis debellandos, uti gloriose perfecerunt. Hæc vera sunt. Sed quando mundus non fuit stultus? Quando numerus stultorum non fuit infinitus? Quando virtus non fuit despecta, & persecuta? De persecutoribus doleo!

276. Ultima pars orationis est *epilogus*, sive examen de ipsa oratione, de modo, quo in ea se gesserit, si devote, aut distracte, quas lucas, aut veritates ei Deus concesserit; quæ proposita fecerit, & denuo breviter repetat ea ad accuratius se Deo mancipandum, ad vitandas occasiones peccati, etiam levis, & denique finitur oratio, proponendo prius mori, quam peccare. In omnibus his debet Confessarius monialium dirigere oves sibi creditas. Si autem sit de numero illorum, qui vere dicere poterunt, *Act. 19. Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*, qualis erit ejus directio? Vereor, & doleo, quod plures moniales ex defectu directionis parum proficiunt, de quo amare minatur Deus Pastores earum, ut præclare docet S. Joannes a Cruce in sua *flamma viva: Cant. 3.*, ubi tradit copiosa documenta tali Doctore digna; nos enim solum inuimus quædam magis obvia, quatenus pro aliqua luce deservire incipientibus valeant.

277. Inter quæ sint, quod Confessarius monialium omnibus æqualiter se exhibeat, omnes æqualiter loquatur, & audiat, fiat omnibus comes, gratus, affabilis, omnibus semper meliora consiliat, vitam commu-

nem, ubi obsolevit, restituere satagat, vel saltem præparet illas ad eam amplectendam, si Superiores eam observari jubeant, ut crates horreant, extraneos fugiant, munuscula ab eis accipere, aut eis donare caveant, novellas mundi nesciant, virtutes, non visiones, aut revelationes querant, meliores communitatis sectentur, earum exemplum sumant, & imitentur, & denique omnia exercitia quotidiana in dies ferventius faciant, in eis enim bene peractis consistit perfectio religiosa.

PUNCTUM XIII.

De extraordinario monialium confessario.

278. Inq. 1. Quo jure teneantur Prælati assignare monialibus Confessarium extraordinarium? R. Quod in primis tenentur ex Concil. Trid. *sess. 25. de regular. cap. 10.* ubi jubetur: *Præter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Deinde Gregor XV. Clem. X., ac tandem novissime idem statuit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis curæ*, edita 5. Aug. 1748., ubi hanc obligationem conferendi dictum Confessarium extendit omnibus novitiis, & sœminis, aut puellis, quæ habitantes in monasteriis, cœtibus, aut conservatoriis, unicum habent Confessarium ordinarium. Et quod hic, saltem semel in anno, sit extra ordinem respectu monialium regularibus subjectarum.

279. Inq. 2. Ad quem spectet deputatio hujus confessarii? R. Pertinere ad Episcopum pro monialibus suæ jurisdictionis; pro monialibus vero exemptis ad earum Generalem, vel Provincialem. Si autem hi negligentes fuerint in deputando, attinet ad Episcopum eorum negligentiam supplere. Si vero Episcopus non designaverit, hujus omissionem supplere debet Cardinalis Penitentiarius. In nullo tamen casu possunt ipsæ moniales deputare illum, sed monere Episcopum, si fuerint exemptæ; vel Penitentiarum, si sunt Episcopo subjectæ. Nec est necessarium Prælatos designare præcise Confessarium, quem ipsæ volunt, aut deposcunt; ejus